

## DE QVALITATIBVS

dientem, amantem honoris, constantem, & firmi propositi in suis opinionibus, ueracem, bonam, diuturnam, & longam rerum aetarum apud se memoriam conseruantem, confidentem maxime in suo consilio, nec cestantem in sententijs, & rebus suis obtinendis, donec obtainuerit, & si quid simultatis, uel odij contra quempiam coepierit, difficulter relinquentem, tollerantem fatigationum, refrenantem uoluptates, contentiosum, legum transgressorem.

planeta Saturnus, Iupiter, uel Mars orientalis stationis, in prima domo, maxime quando fuerit cum conditionibus sibi conuenientibus, uidelicet in signo conuenientis naturae, & bona luminarium habitudine, & in aspectu planetarum sibi conuenientium, & a conuenienti separetur, & iungatur bono conuenienti, & similiter lumen deferat, facit natum animo liberum, bonum, simplicem, & confidentem in suo consilio, fortem, acuti ingenij, largum, apertum, & se non leuiter mutantem.

Planeta occidentalis stationis, in septima domo, maxime quando fuerit cum omnibus contrarijs conditionibus, facit natum contrariorum morum his quos diximus.

planeta autem orientalis stationis in decima, maxime cum conditionibus conguentibus, facit natum magnae & pulchrae cogitationis, fixum in proposito, fortem, memorem, quietum, intelligentem, magnanimum, immobilem, sine fraude, industrium, laboriosum, inquisitorem, nobilem animo, & in scientijs sapientem.

Positio uero planetæ in orientali statione, in quarta domo cum conditionibus sibi contrarijs, facit natum contrarios mores habere predictis.

Sed constitutio planetæ in orientali statione, in domo quæ succedit primæ, significant mediocriter de bonis moribus, quos in prima signant. Eadem in domo quæ succedit decimæ, mediocriter respectu decimæ. Si autem fuerint in cadentibus, multum minuitur de bonis moribus. Et si in cadenti primæ de moribus quos prima signat, & sic de alijs. Vice uersa de uicijs quæ significantur, per positionem planetarum in occidentali statione septimæ & primæ domus, minuuntur uicia plus in cadentibus, quam in succendentibus, quia si habebit pessimos mores propter negligenciam, multos non exequetur. Quando etiam fuerint in opposito Solis, in prima domo planetæ orientales, faciunt natum leuem, stultum, debilem, non sufferentem laborem, leuiter mutabilem, uilem, infelicem, dubitatem, pulillanimem, tardum, flessum, mobilem, inconstantem, & solitarium. Quando fuerint in contraria conditio ne, erunt hæc contraria.

Sed ueneris & Mercurij, occidentalis statio in quarta domo, ac etiam in septima, in natuitate diurna, uel eorum occidentalis statio in prima domo, uel in decima in natuitate nocturna, cum bonis conditionibus, sicut diximus in tribus superioribus, facit natum subtilis ingenij, simplicem & sensatum, malæ memoriae, fugientem labores, & fatigiones, tamen erit inquisitor secretarum artium, ut sunt necromanticae, & aliæ, ac etiam artis instrumentorum & machinarum, in quibus sit aliquid secreti & extranei, & artis sculpturæ, artis etiam iudiciorum Astrologiae, interpretem somniorum, aruspicem, & his similla, recondita appetentem.

Mediocritas & diminutio, & bonorum, & malorum morum penes succeditia & cadentia, iudicantur eodem modo, quo dictum fuit in tribus superioribus.

Similiter cum planetæ qui disponunt mores nati, erunt in locis suis proprijs, & conuenientibus cum eorum natura, ut superius dictum est, faciunt proprie mores in bonitate durabiles, & quod non leuiter mutantur, nec perturbentur, quoniam prosperabitur natus in sua operatione, ut quodcumque facere deliberet, suo Marte faciet, & imperabit sibijsi, maxime autem si una eademque stella diuorum locorum Mercurij scilicet & Lunæ domina fuerit. Ac etiam qualitercumque cum Mercurio in figura participet, & a Luna separetur, uel cum ea conuenientiam habuerit. Quod si ita